



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale, seu Institutio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina**

**Torres, Alfonso de**

**Ingolstadii, 1604**

XI. Ne sit iracundus Sacerdos: ne iuret: ne blasphemet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

## CAPVT XI.

*Non iracundum.*

NE SIT IRACVNDVS

SACERDOS:

NE IVRET, NE BLASPHEMET.

## SVMMARIVM.

*IR facilis ad indignandū, est ad peccandum procliuior. I.**Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. 3.**Et eius tyrannis crudelior est tyrannide voluptatis. 5.**Proinde ante omnia vitia fugienda. 6.**Nec licet Sacerdoti ab illa superari. 4. 14.**Alioqui à Sacerdotio arcendus. 5.**Vbi furor. ibi libido. 7.**Necessaria tamen est ira, non vt domina, sed vt ancilla. 8.**Que autem sit iusta. 9.**Non iurandum per calum, neque per terram. 2. 10.*

II. 12.

*Quando autem Sacerdoti necesse sit iuramentum prestare, qualiter id facere debeat. II.**Cuiquam tamen laico super Euangelia iurare Sacerdos non debet. 12.*

Nequa

Neque per creaturas iurare, sub excommunicationis  
pœna. 13.

Inperiurio Sacerdos captus deponendus, & ab officio  
& beneficio suspendendus. 14. 15.

Contra blasphemum Clericum qualiter procedendum.  
16. 17.

**Q**ui ad indignandum facilis est, erit ad pec- 1  
candum procliuior. *Prou. 29.*

Ego autem dico vobis, non iurare omnino, ne- 2  
que per cælum, quia thronus Dei est, &c. Sit ser-  
mo vester, Est, est; Non, non: quod autem his a-  
bundantius est, à malo est. *Matth. 5.*

Sit tardus ad iram: ira enim viri, iustitiam Dei 3  
non operatur. *Iacob. 1.*

**Non licet Sacerdoti esse iracundo, aut  
furibundo.**

Non licet Sacerdoti percutere seruos, non oc- 4  
cidere, non iracundiam portare: quia Dominus  
eius humilis, benignus, & misericors est. non ergo  
licet furiosum esse Sacerdotem. Nihil enim fetidi-  
tis, nihil damnosius, nihil leuius, nihil turpius  
in pastore furiositate. *S. Augustinus serm. 36. ad fra-  
tres Eremi.*

Ira tyrannis crudelior tyrannide volu-  
ptatis; & , qui eam habet, à Sacerdotio  
arcendus.

Est quædam voluptas iræ excandescencia, 5

cuius tyrannis Sacerdotis animum vbi possedit, voluptatis tyrannide crudelior, truculentiorque est, &c. *Et paulo superius*: Huiusmodi autem ingenio præditi homines ab Episcopatus cancellis, à Sacerdotij claustris procul arcendi sunt. Nam Episcopum inedia minime extenuari, cruciariue, tum eundem nudis pedibus non ingredi, id certe nihil incommodabit Ecclesiæ vniuersitati: at vero agrestioris animi ferocitas, furorque tum domino possessorique suo, tum etiam proximo ingentium calamitatum auctor sæpe fuit, &c. *S. Chrysof. de Sacerdotio l. 3.*

**Iracundiæ vitium ante omnia vincendum.**

- 6 Sicut nihil est præponendum caritati; ita furori, vel iracundiæ, nihil est è contrario postponendum. Omnia namque, quamuis vtilia, ac necessaria videantur, spernenda tamen sunt, vt iræ perturbatio deuitetur. *Cass. Coll. 16. c. 7.*

**Vbi furor, ibi libido.**

- 7 Vbi furoris infederit virus, libidinis quoque necesse est incendium penetrare. *Idem Cassian. l. 6. c. fin. & coll. 12. c. 6.* Quia vir iracundus inhonestus est. *Ex Prouerbiis Salomonis c. 11. iuxta translationem lxx. Interpretum, secundum eundem Cassianum. l. 8. c. 1.*

**Ira necessaria vt ancilla, non vt domina.**

- 8 **CVRANDVM** summopere est, ne ira, quæ instrumentum

strumentum virtutis assumitur, menti domine-  
tur; ne quasi domina præeat, sed quasi ancilla, ad  
obsequium parata, à rationis tergo numquam re-  
cedat. *S. Gregor. Moral. l. 5. c. 31. l. 26. c. 28. l. 7. ind. 2.*  
*ep. 126. S. Bonaven. in Phar. l. 4. c. 36.*

**Ira iusta est, qua quis irascitur suis, & alie-  
nis peccatis.**

*Gloss. super Ps. 30. Cap. l. 8. c. 8. Alia vide sup. p. 2. c. 9*  
*3. §. 3. de suauitate in verbis, & c. 8. §. 1. de modestia, &*  
*§. 2. de patientia.*

**Nulla modo iurandum, & quare.**

Dico vobis, non iurare omnino: ne scilicet iu- **10**  
rando semel ad facilitatem iurandi veniatur, ex **Mass. 5.**  
facilitate ad consuetudinem, & ex consuetudine  
in periurium decidat. *S. August. de mendacio.*

**Sacerdos ex leui causa iurare non debet;  
quando autem sit necesse qualiter id  
faciendum.**

**11**  
Si quis Presbyter contra laicum, vel laicus con-  
tra Presbyterum aliquam habet querimoniam con-  
trouersiam, Episcopo præcipiente, sine persona-  
rum acceptione finiatur: & laicus per iuramen-  
tum, si necesse sit, se expurget; Presbyter vero vice  
iuramenti per sanctam consecrationem interroge-  
tur. Quia Sacerdotes ex leui causa iurare non de-  
bent. Manus enim, per quam corpus & sanguis  
u 3 Chri-

Christi conficitur, iuramento polluetur? Absit, cum Dominus in Euangelio discipulis suis (quorum vicem nos indigni in sancta gerimus Ecclesia) dicat: Nolite omnino iurare: Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem his abundantius est, à malo est. *Concil. Tribur. 2. q. 4. c. eod.*

*Matt. 5.*

**Nullus Clericus cuiquam laico iuret super Euangelia.**

- 12 **NVLLE** ex Ecclesiastico Ordine cuiquam laico quidquam super sacrosancta Euangelia iurare præsumat, sed simpliciter cum veritate dicat, Est, est; Non, non. Sed, si est aliquid, quod tibi obijciatur, prout iudicauerint qui eiusdem Ordinis sunt, aut corrigatur, aut expurgetur. *Concil. Rhem. 22. q. 5. c. eod.*

**Clericum per creaturas iurantem acerrime obiurgandum; si perstiterit in vitio excommunicandum.**

- 13 *Concil. Carthag. 4. c. 60. 61. 62. 80. 82. q. 1. cap. eod. cap. si quis.*

**Sacerdos in periurio captus deponatur.**

- 14 **PRESBYTER**, aut Diaconus, qui in periurio captus est, deponatur; non tamen communione priuetur: dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipsum. *Can. Apostolorum. 25. dist. 81. cap. eod. Iuo p. 6. cap. 3.*

*Num. 1.*

**Clerici**

**Clerici periuri ab officio & beneficio suspendendi.**

CLERICOS, si religionem fidei, & iuramenti sui violasse constiterit, ab officio & beneficio suspendatis. *Lucius 3. de fideiuss. c. peruenit.* Quia non merentur Ecclesias regere, qui sunt crimine periurij irretiti. *Alex. 3. de iureiur. c. querel.*

**Qualiter procedendum contra Clericum blasphemum.**

QUICVMQVE Deo palam maledixerit, contumeliosis atque obscenis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam expresse blasphemauerit, si Clericus vel Sacerdos fuerit, eo ipso, quod de delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum, quæcumque habuerit, fructibus, applicandis vt infra, vnus anni spatio mulctetur. & hoc sit pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit: pro secunda, si ita deliquerit, & conuictus fuerit, si vnicum habuerit beneficium, eo priuetur; si autem plura, quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur: si tertio arguatur, & conuincatur, dignitatibus, & beneficiis omnibus, quæcumque habuerit, eo ipso priuatus existat, ad eaque vltius retinenda inhabilis reddatur; eaque libere impetrari, conferrique possint. *Concil. Lateran. sub Leone X. cap. de reform. curiæ, & aliorum.*

## De eodem.

- 17 Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur. S. Pius Papa 22. q. 1. c. eod.

CAPVT XII.  
NE SIT FORNICARIVS  
SACERDOS,  
AVT ALIIS CARNIS OPE-  
RIBVS INSERVIAT.

## SUMMARIVM.

**A**MERETRICE longe fugiendū, quia nouissi-  
ma illius amara quasi absynthium, &  
acuta quasi gladius biceps. 1. 2.  
Melius est habitare cum iniquo viro, quam cum mu-  
liere beneficiente. 3.  
Fornicatio, & omnis immunditia nec nominanda, quis  
omnis fornicator, & immundus non habet heredi-  
tatem in regno Dei. 4.  
Qui post acceptum Ordinem sacrum in peccatum car-  
nis lapsus fuerit, deponatur, ex Apostolico decreto.  
5. 6.  
Secundum vero decretum Canonis penitentialis aliter  
puniendus. 7.

Non